Nobilissime Vir.

Delitui aliquot dies in Borhouch, ratus reperiens deesse, quo contra Edictum Ordinum protegerer: Ast communicato cum duobus Advocatis, ac Nobili Viro D. Van Tiens, ambobus togâ sagoque claris, salvo-conductu, audaciam et vocum responso concepi repetendi Lares relictos; eoque successu, ut cum de meâ inter meos mansione, Deputati Maioriae, ac Fiscus ipse, diversique Verbi Ministri hâc transeuntes admonerentur, eandem et gratiâ S. Celsitudinis mihi concessâ benignè interpretati sint. Quarè cum illa modò expiret, atque adeò domi licentia degendi; In Hagham anxius veni; sed ob absentiam S. C. et Tuam, eo duntaxat fructu quod spem esse intelligam, super negotio Maioriae ante reditum S. C. definiendum nihil: Et ut esset in eundem tamen omnia differrem, varii et Ordinum collegio mihi dediti, omninò suadeant; pro nova facultate, iterum TE supplex accedo; hoc nempe fine, ut dum frugalius in Loon, quam hîc vixero, alacrior TE reducem amplecti possim, et minore Melancoliâ Principem causae meae Patronum, coram, quo possum ac debeo cultu venerari. Ista supplex TE orat observatque

Nobilissime Vir

Tuae Generositati

servus indignus

B. a Kessel
Persona in Loon

In Hagha comitis
1a 7bris a 1648 -

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Kessel) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4864

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Kessel) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4864

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Kessel) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4864